

10

τῶ θεῷ συνεργῶντες!

DISSERTATIO THEOLOGICA,

De

JUSTITIA ORIGI- NALI, PROTOPLASTIS NATURALI,

Quam,

In Celeberrimæ ad Albim Academiae

Auditorio Majore,

ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ,

P R Æ S I D E

V I R O

Maxime Reverendo, Amplissimo atq; Excellentissimo,

DN. JOHANNNE Deuschmann /

S.S.Theol. Doct:& Profess. Publ. longe celeberrimo

Alumnor. Electoral. Ephoro gravissimo,

Dn.Præceptore, Promotore ac Patrono suo debita
animi observantia colendo,

Die XX. Junii An. M.DC.LXV. horis consuetis,

Publico & placido τῶν τὰς γραφὰς ἐρευνῶντων
examine exhibebit

EUCHARIUS STEPNERUS,

Cygneus.

WITTEBERGAE

Typis JOHANNIS BORCKARDI.

Coll. diss. A
161, 29

5. ~~161/29~~ #29

24. A. 161 (29.1)





Multorum in iis contemplandis reb9 cura teritur,
quæ longe supra mortalē conditionē exsurgunt,
Quibusdam, quæ prudenter circa homines ani-
ma dverterunt, facundè contigit eloqui. Aliis,
attendo studio, quæ infra genus hominum de pressa sunt,
commemorare, placet. Sed quorsum speculamur illa,
scrutamur ista, contemplamur hæc? Te ipsum, homo,
ingredere. Hic, quod rimeris, habebis. Magna profecto
foret negligentia, alia scire, & se ipsum nescire. *Nec scien-
tia aliqua melior est illa, qua cognoscit homo seipsum. Relinque
ergo cætera, & te ipsum discute. Per te curre, & in te consiste.
A te incipiat cogitatio tua, & in te finiatur.* Hæc tuta mor-
talib9, cui clavo quasi affixi sunt, relinquendi, & quantum
supra se pennis volucres exsurgunt, tantum meditationi-
bus ad Deum propius accedendi, via concessa est. Nam
*quantomagis in cognitione nostri proficimus, tanto magis ad
cognitionem Dei accedimus.* Vere igitur hoc

E cœlo descendit γυνῶσι σεαυτὸν,

Figendum & memori tractandum pectore.

Ira & Patrum Sanctissimus, *Augustinus*, secum habitavit,
& supplex infimis precibus quotidie ingemuit: *Domine, da
mibi, nosse TE, nosse ME.* Nec minus, si verba numeres, bre-
viter & abscisè, si sensum æstimes, copiosè & valenter
*Bernbardus monet: Discute, quid sis, quid fueris, quid esse
debueris, quid esse poteris.* Vix juvat abire ab hac materia.
Verum tempus me citius, quàm res, desereret. Præterea
propositi quoque nostri ratio, non ea omnia, sed pauca
horum, recordanda revocandaque, à primo generis nos-
tri statu, sibi sumit, In eo enim non totam solum substan-

tiam à Creatore Optimo Max: homo accepit, sed variis
insuper, divinisque donis veræ Sanctitatis & cœle-
stis justitiæ donatus, & ad Summum splendorem exorna-
tus clementer est. Quæ quod humano generi *naturalia*,
nequaquam supernaturalia fuerint, adeoque, quid per na-
turam fuerimus, quid esse potuerimus, quidque esse de-
buerimus, præsentī in Disputatione, quantum fert inge-
nii tenuitas, stylo simplici & quotidiano, expendemus.
Tu, Deus, annue coeptis!

I.

*In homine ante lapsum dona quædam supernaturalia
Spiritus Sancti extitisse, justitiamq; Originalem donum Dei, ex
gratia collatum, dici posse, non negamus: Nec tamen eandem
Originalem Justitiam ita homini naturalem facimus, ut vel
pro essentiali constituyente, vel consequente, haberi debeat; sed,
subjectivè, perfectivè & transitivè eam naturalem fuisse, affir-
mamus.*

§. I. Controversiæ hic omnium primò status rectè forma-
ndus, & diligentius expendendus, quo ille facilius ab Adversariis
pervertitur. *Bellarminus* siquidem, hoc suæ causæ consulens arti-
ficio, Lutheranos, nulla in homine primo supernaturalia dona,
cvm Palagianis, relinquere, strenuè nugatur c. 1. & 6. de grat. pr.
hom: Quem sequi videtur *Dn. D. Drejerus* in *Germanica Deductio-
ne* q. 1. de *Justitia & Peccato Originali* p. 156. & 158. Ubi orthodo-
xos Manichæismi, Flacianismi & Pelagianismi incusat, eò quod
simpliciter, justitiam Originalem homini primo naturalem fuisse
asserant. Verum, quis Nostratum Theologorum unquam, nul-
la admittâ distinctione, supernaturalia gratuita Spiritus Sancti
dona negarit, justitiamque Originalem naturalem simpliciter,
affirmarit, demonstraretur, optaremus. Falso enim omnia hæc
asseruntur, ad statum quæstionis & sententiam nostram sophi-
sticè pervertendam. Quod jam tum *B. Zeemanus* in aureo verè
Tractatu de imagine Dei c. 7. art. 3 p. 130. accuratè notavit; *Bellar-
minum* more suo calumniari, & extra scopum vagari, dicens. Nam,
quia

quia in homine renato, in quo imago divina saltem instauratur, Spiritus Sanctus gratiosè habitat, 1. Cor: 3, 16. c. 6, 19. lubentissimè concedimus, eundem multò magis in Protoplastis quoque habitasse, ratione tamen dispari. In renatis Spiritus Sanctus naturam immundam purgat & sanctificat; Protoplasti verò mundatione ista, haud opus habuerunt, sed Spiritus S. concreatam eorum perfectionem & integritatem presentia suâ illustravit & confirmavit, summam in iis excitando animi letitiam, qua in Deo & lege ejus sese oblectarent. Huc accessit singularis Dei providentia & cura, quam de homine, in eo statu constituto, gessit, non sinens ejus vel animo, vel corpori quicquam contingere, quod ejus tranquillitatem & felicitatem perturbaret; quæ quidem cura in eo statu ordinaria fuisset, de qua vide Perer: libro 5. in Genes. disp. de Tertia Excel: qv. 1. pag. 575. illa verò Spiritus Sancti inhabitatio & assistentia, & cura divina, non fuit pars vel proprietas naturæ, sed donum supernaturale. Haftenus B. Zeæmannus. Quibus similia leguntur apud B. Himmel. disp. inaugurali de imagine Dei. Sic & Gerhardus Isag. Disp. XII. Loc. X. c. IX. Meisnerus Anthr. Decad. I. disp. II. q. 2. Gisenius disp. XLI. de Papisimo par. 9. de ea nobis impacta calumnia conqueruntur: Obque hæc Cariere de Creat. hom. Qv. 21. eandem assistentiam & curam specialem & supernaturalem describentem, collaudat Magn: Dn. D. Calov. Syst Theol. T. 4. c. 1. de statu Integr. p. 421. 422. Modo dona hæc supernaturalia, ut sunt illa gratiosa Dei assistentia & Spiritus S. inhabitatio, varios in eo edens effectus, cum ipsa justitia Originali, naturali perfectione, non confundantur, quod omninò factum fuisse videtur in Deductione Germanica D. Drejeri l. c.

§. II. Deinde nemo Nostratium inficiatur, eam, quam Originalem dicimus, justitiam optimè donum posse Dei, ex ejus gratia collatum, dici, & quidem ratione & respectu originis: Equidem nemo cū sui ipsius causa sit, etiã homo primus, eã à seipso non magis integritatē naturalem habere potuit, quàm corp9 & animam, cujus perfectio ea fuit. Igitur & gratiæ illi generali, & dono creationis, omnis illa, quæcunque in homine fuit, perfectio accepta referenda. Hinc extra Controversiam, tanquam indubium, hoc

præsupponimus; Siquidem hoc modo etiam aliæ res naturales, à gratia Dei generali, h. e. creationis dono, dependere, dici possent, ut asserit *Lombardus lib. 2. disp. 25. Confer. iterum B. Jeemann lib. 6. p. 129.* Nos autem de modo *inherentiæ* quærimus, utrum ceu donum quoddam superadditum accesserit naturæ, ad defectum quendam naturalem corrigendum, quod negamus. Porro, quò mos pacto Originalem justitiam dicamus naturalem, prætermittendum non est, adeoque hic ambiguitas, in *τῶ* naturale latens, paululum evolvenda. Id quod omnium se optimè fecisse videri vult *D. Drejerus, Grörterung p. 158. vid.* Sed quo præter opinionem successu solidè & fusiùs demonstravit *Dn. D. Calovius in Harmonia Calixtino Heretica cum Papistis, Subsect. 2. à. pag. 283. §. 12. seqq. qui videatur.* Nos hoc loco opera & verbis *B. Gerhardi ex lib. 2. Confess. Cathol. part. 3. art. 20. c. 2. p. 349.* rem dabimus expeditam. Naturale, inquit, quinque potissimum modis dicitur. Primò *constitutivè*, pro eo, quod ipsi naturæ dat esse. Sic naturalia homini dicuntur principia essentialia, corpus & anima. Secundo *consecutivè*, pro eo, quod naturam specificam necessariò consequitur, ita ut ex rei necessitate s. formâ essentialiter fluat. Sic homini naturalis est risibilitas. Tertiò *subjectivè*, pro eo, quod naturæ arctissimè est infixum. Sic naturale est quibusdam abhorrere à caseo. Quarto *perfectivè*, pro eo, quod naturam promovet & perfectiorem reddit. Sic quibusdam naturalis est *εὐφροία*. Quintò *transitive*, pro eo, quod cum natura simul in alios propagatur. Sic generositas in liberos propagatur. Quando justitiam primo homini naturalè fuisse dicimus, non primo, vel secundo, sed tertiò, quarto, & quinto sensu naturalem fuisse, intelligimus, ob inhesionem scilicet, perfectionem & propagationem. Vid. etiam *Meisnerus in Phil. sobr. Part. 1. sect. 3. c. 5. qu. 4.* Ad quæ *B. Gerhardi* verba etiam provocat quidem *Dn. D. Drejerus p. 202.* deductionis, eandemque sibi mentem esse ait; Sed frontis nulla fides, ut declaratum in laudata *Harmon. D. Calovii l. c. p. 288. seqq.* Propterea de hoc controversitur potissimum, utrum illa Originalis justitia ita homini primo naturalis indita fuerit, ut citra peculiarem, specialem, & supernaturalem Spiritus Sancti

cti

Et in habitationem & gratiam res divinas potuerit scrutari, & intelligere, veraque justitia & sanctitate, tanquam naturali & debita perfectione, exornatus sit, eamque naturaliter in posteros propagare debuerit: An verò, ad intelligenda bene Spiritua- lia & divina, peculiari & supernaturali Spiritus Sancti illumi- natione, quâ nunc post lapsum, opus habuerit; sive ad adipiscen- dam veram justitiam & sanctitatem, sive, ad extirpandam & tol- lendam eam, quæ ei naturalis fuerit, imperfectionem & propen- sionem ad rebellionem carnis adversus Spiritum, Protoplastis necessaria fuerit, sicuti nunc nobis post lapsum. Illud nos cum u- niversis Orthodoxis approbamus, & ex Scriptura demonstraturi sumus: Hoc Adversarii, mox mox adducendi, propugnant.

§. III. Addimus & hoc, posse aliquo modo justitiam Origina- lem donum supernaturale dici, homini scilicet lapso; sed de eo significato hic solliciti planè non sumus, facilè eundem admittentes, cum de homine recto imprimis quaestio sit. Sic si supernaturale æquipollere dicatur τὴν spirituali, iterum non adeò repugnabimus, justitiam homini concreatam aliquatenus dici posse supernaturale aliquod; Verum nos propriam hoc loco urgemus significationem, in qua puris naturalibus opponitur, quo pacto supernaturale donum dici posse eandem per negamus.

II.

Justitiam Originalem donum aliquod, hominis nature, ad peccandum prona, suberabundanti gratia Dei additum, & supernaturale esse, Scholastici ferme omnes, & Pontificii magno consensu affirmant; naturalem verò, ad hominis integritatem facientem, perfectionem fuisse, negant.

Est hac sententia communis Doctorum Scholasticorum veterum, & recentiorum, nec ex uno Dominico à Soto eruta, nec S. Thomæ contraria, ut loquitur Bellarm. de grat. pr. hom. c. 5. Quam laudem cum ipsi non invident, igitur & testimonia quorundam, ut id, quod nos cum eo fatemur, demonstraretur, adducenda erunt. Ita B. Thomas Part. 1. quest. 95. art. 1. inquit: Manifestum est, quod illa subjectio

subjectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem, non erat naturalis, aliàs post peccatum mansisset, cum etiam in Dæmonibus data naturalia post peccatum permanferint. Idem in qv. 4. de Malo art. 1. Est autem considerandum, quod primo homini in sua institutione datum fuerat divinitus quoddam supernaturale donum, scilicet Originalis justitia, per quam ratio subdebatur Deo, & inferiores vires rationi, & corpus animæ. Quamvis autem Viri aliqui insigniter eruditi, Thomæ eam non esse mentem, censeant, quæ verba sunt Bellarm. l. c. c. 5. tamen operosus est in hoc probando, omnesque introducit interpretes Thomæ, comprobantes, donum supernaturale justitiam Originalem Thomam credidisse. Durandus in 2. sent. dist. 20. qv. 5. Justitia Originalis quamvis esset conditio corporalis, erat tamen merè donum Dei, & non proprietas naturalis, alioquin mansisset post peccatum, sicuti natura mansit cum suis naturalibus proprietatibus. Bellarm. l. de grat. pr. hom. c. 5. hanc proponit propositionem: Rectitudo illa, cum qua Adam creatus fuit, & sine qua post ejus lapsum omnes homines nascuntur, donum supernaturale fuit. Porro, ait, sciendum, divinam providentiam initio creationis, ut remedium adhiberet huic morbo sive languori nature humane, qui ex conditione materie oriebatur, addidisse donum quoddam insigne, justitiam videlicet Originalem, qua, veluti aureo quodam freno, pars inferior parti superiori, & pars superior Deo facile subjecta contineretur: It: Nos existimamus, rectitudinem illam etiam partis inferioris fuisse donum supernaturale, & quidem per se, non per accidens, ita ut neq; ex principis nature fluxerit, neq; potuerit fluere. Eam quoque sententiam esse, dicit, Gabrielis Masili, Johannis Driedo, Tapperi, Andrea Vegæ, Dominici à Soto, Alberti Pighii, quibus adductis concludit: Nescio, quomodo possit ullus hoc tempore Catholicus dubitare, fuerit ne primi hominis integritas naturalis, an supernaturalis, cum, ut suprà notavimus, duo summi Pontifices, PIUS V. & GREGORIUS XIII. articulum illum damnaverint: Integritas primæ conditionis non fuit indebita nature humane exaltatio, sed naturalis ejus conditio. Ita & Pererius l. 5. in Genes. p. 577. justitiam Originalem vocat donum simpliciter & absolutè supernaturale. Gregor. de Valent. Tom. VIII.

VII. *disp. in Thom. Convenit inter Theologos, dona illa, quae ante peccatum habuit Adam, fuisse supernaturalia.* Plura in hanc rem ab Adversariis dicta adducere nil attinet, satis, ut puto, ex his eorum mens & erronea sententia elucet. Igitur nunc nostrum erit adductis quibusdam argumentis nostram Orthodoxiam, qua justitia Originalis donum hominis naturale fuisse asseritur, comprobare, illorumque heterodoxiam demonstrare; Prius tamen & alios, Scholasticos scutos, adducemus.

III.

Remonstrantibus quamvis hunc errorem impingere non velimus, quatenus illi ex Confessione & Apologia dogmatum suorum censuram requirunt; attamen planè eosdem omnes absolvere non poterimus, quatenus ex privatis Doctoribus de eorum quoque doctrina judicare licitum est.

Nihil disertè hic Arminiani determinare audent in *Apol. ad c. 4.* cujus verba infrà thesi ultima allegavimus. Igitur forsitan dimittendi etiam essent. Verum cum, se, quòdcunque alicui placuerit, admissuros, asserant l. c. nunc quid Doctores eorundem propugnent, videndum paucis est. Certè *Simon Episcopus nobiscum originalem justitiam, homini naturalem, astruit, ut declaratum est Thesi ultima.* At verò *Gerhardus Johannes Vossius*, magni apud eos nominis Vir, hoc quoque errore imbutus omnino censendus est. Si enim consideraverimus modò accuratius, quæ l. 2. *Part. 3. tb. 1. Histor. Pelag.* disputat prolixius, de eo dubitandum amplius non erit: *Quemadmodum, inquit, ex ferro oritur rubigo, si cura hominis & oleum absit &c: quemadmodum equus ferox, amissò freno, præceps currit, equitemq; sæpe excutit, neque ad hujusmodi effectus aliis causis, physicè operantibus, opus est: similiter quoque ea est animæ natura, ut, si justitia Originalis & gratia Dei absint, Spirituali quasi rubigine obducatur, ferocis instar equi, excussò equite, quâ data via cursu ruat incitatissimo.* Et paulo post: *Ac in statu quidem integritatis à justitia Originali, sic eam (interiorem facultatem rebellem intellige) frenari potuisse, ut facile obsequeretur rationi: In statu verò corruptionis, freno hoc justitiæ amisso, fero-*

B

ris

eis instar equi lascivire, ait. p. 224. l. c. Carentia justitiæ Originalis est per modum removeantis obstaculum, quomodo rubigo est ab humana voluntate, ferrum non curante. In his Vossii & similibus, quæ occurrunt plures, phrasilogiis & discursibus Not. i. Eundem, cum Scholasticis, in homine naturalem locare concupiscentiam facultatum inferiorum adversum superiores, sive carnis & Spr. rebellionem; Ex qua communi hypothese non potest non fluere quoque hic de supernaturali dono justitiæ error, cum alterum sine altero vix affirmari, ne, defendi, dicam, queat. 2. Justitiam, in statu innocentiae homini propriam, comparat ferri rubigini, & equi freno: At quis nescit, rubiginem ferro non naturalem, sed præternaturalem, esse, minimeque ad ejus perfectionem pertinere? sic stolidus omnino esset, qui frenum equo naturalem diceret, quod id nec ad ejus esse naturale perficiendum quicquam conducit, nec in aliis propagatur. Concludimus igitur, Vossium justitiam Originalem homini naturalem minimè credere, sed eandem pro dono, aut freno adventitio, proque mero removeante obstaculo, habere.

IV.

His suo jure annumerari ultimò merentur loco Novatores, easdem cum Pontificiis, ut assolent, tibias inflantes, donumque supernaturale crepantes.

In hoc probando licet prolixiores esse planè supervacaneum videatur, quod notorium est, *D. Calixtum*, cum suis assecclis, hic Pontificiis pollicem premere, iisque applaudere, ut in plerisque de imagine Dei controversiis, ita imprimis in hac præsentis: Attamen ne quid sibi tribui conqueri necessum habeant, quod aq ipsorum mente alienum longè sit, itaque brevibus eorum sumus indicaturi antithesin. Certè *D. Calixtum* justitiam Originalem, non, nisi pro dono aliquo supernaturali, habere, satis ejus testantur scripta publica, in quibus & directè s. apertis verbis, & indirectè sive per consequentias bonas & pronas eundem errorem adstruit. Ita enim in *Epit. Theol. Edit. noviss.* cui suam declarationem præmisit *Dn. D. Titius, p. 90. inquit. Porro imago illa Dei, quam homo in lapsu amisisse dicitur, non fuit naturalis, stuens aut*

aut

aut dependens ex naturalibus principiis (alioquin naturalem dicere potes, si nihil aliud intelligas, quam, coepisse cum ipsa natura, sive ab ipso ortu & origine naturæ fuisse) sed supernaturalis, peculiari Dei dono concessa, justitia, innocentia & integritas. Nempe in intellectu supernaturalis cognitio essentiae & voluntatis divinae. In voluntate &c. Ubi itidem notanda perversio status Controversiæ in hisce D. Calixti verbis suprâ th. 1. notata; quâ animadversâ, κατὰ τὸ πρῶτον hic justitiam Originalem dotem supernaturalem dici, nemo non intelligit: Et p. 93. ait: Jam negari non potest, quin aliqua imago Dei in naturalibus intellectus & voluntatis potentis resideat. Atque hinc orta illa ad dominandum aptitudo, itidem modo dictæ imaginis portio quædam est &c. Verum si in naturalibus istis imaginem Dei advertimus, multò illustriorem & expressiorem videbimus in supernaturalibus, quorum contemplatione posteriore loco occupabimur, quæ non debeantur homini vi naturalis suæ perfectionis, sed saltem illa abesse possint. Accesserunt autem ex superabundante benevolentia Creatoris, quo hæc Creatura, earū, quæ sensibus percipiuntur, nobilissima, perfectior foret, & dignior suoq; Conditori magis placeret &c. p. 96. 97. rem compendio proponit hisce: summa eorum, quæ diximus, esto, imaginem Dei, ad quam homo conditus est, tum ad naturalia, tum ad supernaturalia referri posse. In naturalibus ratio & voluntas imaginem referunt, quanquam lato & improprio modo etiam sensu prædita natura, imò ipsa existentia, dici posset ad imaginem Dei creata esse &c: Quod autem in supernaturalibus integritas, justitia, sanctitas, sive innocentia illa universalis, potentias homini proprias informans, & exornans, reverà imaginem Dei exprimat (etsi reliqua etiam dona supernaturalia eodem referri possint) jam ante diximus: & quidem non nisi in illa, imaginem, quâ scripturas intelligere credimus, collocamus. Ex quibus satis constat, Eundem ad Photinianorum nō saltem errorem, quod in voluntate & ratione hominis imago Dei constiterit, statuentum, accedere, quod notavit Dn. D. Calov. Harm. loc. cit. p. 275. §. II. Confer. Ostorodi Institut. c. 33. sed &, quod nostri est instituti, exinde liquet, quæ

D. Calixti hac de re sit sententia, Pontificiorum ex asse gemina. Hucque pertinent flosculi illi passim obvii, quibus Originaliss justitia plerumque donum dicitur supernaturale, alibi in ejus scriptis, utpote in *Exercit. de Peccato Orig. p. m. 61. tb. 69. p. 52. tb. 62. p. 51. tb. 61. Et tb. 15. § 11.* putat eandem justitiam improprie dici naturalem. Huc accedit, quod D. Calixtus, statum purorum & merorum naturalium cum Scholasticis propugnans, non possit non eisdem in hac itidem controversia Duces sequi. Quippe naturalem homini in puris naturalibus istis tribuit rebellionem carnis adversus Spiritum, *Vid. Epit. Theol. p. 91. Exerc. de Peccat. Orig: tb. 62. Tract. de Peccatis tb. 5. justitiamque* Originalem superaditam fuisse humanæ naturæ, in pleno esse suo, absque quo videlicet homo dici homo nequeat, constitutæ, asserit, eamque frenum aliquod, concupiscentias carnis naturales reprimens, & coercens, dicit *Exercit. c. thes. 61. 62.* Hinc infallibiliter sequitur, dotem verè super naturalem fore ipsam Originalem justitiam. Quod quamvis luce clarius videatur, attamen placet adhuc verba ex *Epitom. p. 90.* hanc consequentiam declarantia, adscribere: *Sed ut hac, inquit, rectius intelligantur, proponemus particulatim, quæ naturalia, quæ it. supernaturalia in homine sunt, sive quid & quantum in statu merorum naturalium sibi relictorum potuisset, quid in statu supernaturalium sive innocentia potuerit &c.* Ex quibus patescit, naturalia omnia homini in statu purorum naturalium tantum tribui, statumque supernaturalium & innocentia eidem unum idemque esse, adeoque nil in hoc relinquendum homini naturalium, cum sibi opponantur & contradistinguantur. Eodem de errore participare videtur *Dn. D. Drejerus in Deducit. Germ.* Etsi enim eos, qui justitiam Originalem freno comparant, quod de Scholasticis & D. Calixto demonstratum est, ad alterutrum extremorum deflectere ait p. 143. Attamen si tota hujus controversiæ prolixior tractatio, ab Eodem suscepta, accuratius perpendatur, eundem D. Calixtum non deseruisse hic deprehenditur: Siquidem pag. 156. hunc in modum disserit: *Sonst können wir ja nicht leugnen / daß der H. Geist vor dem Sündenfall in Menschen gewohnet habe / hat er da gewohnet*

wohnet / so hat er auch was gewircket / nemlich Gerechtig-
 keit / Weißheit / und dergleichen Gaben / welche des Heiligen
 Geistes eigene Wirkungen sind / und können keines weg
 natürlichen Kräfften zugeschrieben werden / wie nach / also
 auch vor dem Sündenfall. Denn die Gaben bleiben in
 ihrem genere / der Mensch sündigte oder sündigte nicht: Die
 Sünde kan auß natürlichen Dingen keine übernatürliche
 machen / wo nicht per accidens &c: & p. 157. Ist aber 130
 die Erkänntnis göttlicher Geheimnis / Gerechtigkeits / und
 Heiligkeit / die Gott gefällig ist / keine natürliche Gaben /
 wie es warhafftig nicht ist &c. So können diese Gaben auch
 vor dem Sündenfall in Stande der Unschuld nicht natür-
 liche Gaben gewesen sein / dergestalt / daß die Natur Sie
 gewircket hätte / und Sie auß der Natur hergestossen wären /
 sondern es sind geistliche Gaben dazumahl gewesen auß
 übernatürliche Wirkung des H. Geistes in Menschen erwe-
 cket / wie es noch 130 seyn. Et p. 160. dazu (daß der Mensch
 eine natürliche Dinge erkennete / und nach Ewigen Gütern
 trachtete) hat Gott den Menschen übernatürliche Gaben
 des Geistes gegeben. Diese Gaben hat er durch die Sün-
 de verlohren. Quod frigitur ea, quæ th. 1. de status per-
 versione differimus, cum hisce conferamus, luculentum, ut puto,
 erit, Dn. D. Drejerum hic prono gratu sequi D. Calixtum. Ne-
 que aliter id fert ejusdem intentio. Quippe in toto illo Tracta-
 tu non tam sibi contra Scholasticos, aut alios, sed in primis con-
 tra Nostratum quosdam disputare proponit, quod Præfationem
 ad Lectorem pervolventi innotescet. Quis verò eorum unquam
 justitiam Originalem homini naturalem dixit, ita ut vel ejus es-
 sentiam constituerit, vel consecuta fuerit? Quid igitur à remo-
 tione illorum respectum statim ad supernaturalem quandam
 dotem concludit? Perinde, ac si non alio, saniori que sensu na-
 turalis ea justitia dicatur à Nostratibus, itaque dici possit & de-
 beat. Aut igitur frustra sibi fingit Adversarios, hisque aliam men-

rem affingit cum *Bellarmino de gratia prim. hom. c. 5.* aut, quod sentit, studio involvit, ne statim anguis, latens sub herba, appareat. Accedit, quod eandem cum *Calixto*, de rebellione naturali partium inferiorum adversus superiores, hypothesein propugnet, ut videre est p. 152. adque id vitii corrigendum potentia supernaturali opus fuisse dicat p. 153. **D**as derowegen derunterste Theil dem obersten schlechter dinges gehorsam sey / dazu muß er in seiner natürlichen inclination gehindert und zurücke gezogen werden / das könnte er vor sich nicht selbst thun; es könnte es auch nicht thun die Vernunft / das sich der appetit gar nicht wiederlich erzeigete / weñ das Gemüth die himmlischen Güter begehrete / den das kan vor sich selbst auß seinen natürlichen Kräfften dieselbe nicht einmahl erkennen / geschweige dennoch / das es vor sich selbst den appetitum sensitivum aus seinen natürlichen Vermögen von seinen eigenen objecto zurücke halten: Drum war auch hierzu vonnöthen eine besondere ubernatürliche Gabe und Krafft des heiligen Geistes &c. Et quamvis p. 202. verba *B. Gerbaradi* supra th. 1. citati, quibus perfectivè, subjectivè & transitivè justitiam Originalem naturalem homini dici debere affirmat, ipse quoq; *Dn. D. Drejerus* opprobasse videri velit; attamen longè alio hæc sensu ab Eodem abripi, πρὸς ὅμωα demonstravit *Magnif. Dn. D. Calovius in Harm. Calixtino - Papiistica* p. 287. seqq. §. 18. sequ. disp. V. Ad quam luculentiorum horum enodationem quærentem benevolè remitto.

V.

Scriptura S. quæ unice hac in Controversia audienda & consulenda est, justitiam Originalem homini primo naturalem facit, eò quod Gen. 1, 26, 27. eandem concreatam esse, luculenter testatur.

Non nitimur hic tam variis Patrum testimoniis, quod *Bellarminus* putat, adducens l. c. c. 7. in resolutione argumentorum nostrorum varia s. *Augustini* dicta, quibus nostram sententiam proba-

proba-

probari simulat; quàm S. Literarum solidis demonstrationibus, quarum primam omnium ex sede prima doctrinæ de Imagine Dei meritissimo depromimus. Propterea ex Gen. 1, 26. 27. notabimus.

I. *Primam Dei Creatoris, de homine condendo, intentionem.* Equidem, quomodo lucem, cœlum, terram aridam, arbores & plantas, luminaria & animalia solo nutu & jussu produxerit divina Omnipotentia, satis graphicè, nulla hominis facta mentione, paulo ante describitur. Post demum subjicitur, ויאמר אלהים נעשה אדם בצלמנו כדמותנו quæ Osiand. transtulit: Et dixit Deus: Faciamus hominẽ ad similitudinem &c. Quam licet interpretationem, cum communior sit, non improbare possimus; attamen si vocem Ebraicam אמר bene excusserimus, plus emphaseos hoc certè loco deprehendere licebit. Ea enim, teste *Clarissimo Philologo, B. Boblio, in Diss. VII. pro Formali eruendo, §. 36.* materialiter quidem, *dixit*, denotat, at formaliter, *intendit*. Prima igitur Dei intentio quin nobis sistatur, de homine condendo, dubium nullum esse poterit. *Intendit autem facere hominem ad imaginem & similitudinem suam.* Quis autem artifex omnium primo de superadditis extrinsecè advenientibus ornamentis, & non potius de partibus artificii, ultimato id perficientibus, cogitaret? Quis Parens prius vestitum, quàm Filium, veste egentem, intenderet? Quis eques prius de freno, quàm equo frenando, sollicitus esset? Si igitur imago Dei, adeoque originalis justitia, fuit superadveniẽs donum, frenum & vestis, juxta Bellarminum, Calixt. & alios suprà adductos, prima utique Dei intentio de eadem esse non potuit; Aut igitur hic Omnisapiens Creator imprudentiæ & inscitia, quod horreo dicere, incusandus, aut justitiam original. non fuisse frenum, vestitum & superadveniẽs donum, dicendum erit.

II. Notamus *intentionis divinae executionem ves. 27.*

וכברא אלהים את האדם בצלמו בצלם אלהים
ברא אתו:

Cum

Cum Dei nostri gloriosi dicere & intendere, sit ipsum facere, Psal. 33, 9. certè aliter hominem actu formare, quàm intenderat, non potuit. Hinc certò ut credamus, eum in iustitia originali factum esse, non sine peculiari emphasi Spiritus S. bis eam naturalem hominis & ultimam τελείωσιν diligenter inculcat, dicens: *Et creavit Deus hominem in imagine sua, in imagine, inquam, Dei creavit illum.* Ad quod verò, & in quo homo conditus est ita, ut ad ejus esse, quemadmodum & Megalander Lutherus locutus est, vid. th. X. puta autem accidentarium, & principia interna, ut Meisner. loquitur, per id productus sit, illud ipsi à natura, qualis ea à Dei manu Creatrice prodiit, convenit, ac connaturale, minimè supernaturale, per peculiarem Spiritus S. inhabitationem, & Sanctificationem ipsi collatum, sit oportet. At verò de iustitia Originali, de quæ imagine divina id εὐδηλον est ex ipsius Spiritus S. disertissimis verbis. Antea enim in consilio S. S. Trinitatis, paulo antè adducto, verbo ΠΣΥ eidem placuit uti, quo jam tum, hominem per divinam imaginem perfici & naturaliter absolvū debere, indigitare voluit. Ast nunc, in ipsa operis executione, ad productionem hominis ad esse accidentarium declarandam, verbum adhibuit ΝΑ, quod, produxit ad esse, significat, teste Clariss. Schindlero Lex. Pentaglott. in ΠΣΥ p. m. 1399. B. Gerbardus ita ex hoc præsentis loco colligit, *Disp. is. XXII. Loc. 10. c. 9. §. 2. Omne concreatum est naturale, ut patet ex inductione. Imago divina est quoddam homini creatum, Sap. 2, 23. Deus creavit hominem ἐπὶ ἀφ' ἑαυτοῦ, & ad imaginem propriae similitudinis fecit eum. Utiq; ergò ex ipsa creatione hanc imaginem sibi in timè inhaerentem accepit.*

III. Advertimus meritò productionis aliarum creaturarum similitudinem. Haud equidem deterioris homo conditionis est, quàm coetera animalia & corpora. At verò, quicquid illis primitus est concreatum, id omne iisdem naturale dicimus. Sicuti igitur animalia dicuntur creata esse secundum genus suum; sic homo ad imaginem Dei. Quapropter sicuti animalibus conformitas cum genere suo fuit naturalis; ita & homini conformitas cum Deo, vel iustitia concreata. Et sicuti animalium natura non fuisset integra,

gra,

*tegra, si caruissent illa cum genere suo conformitate: ita quoque, ob re-
 tionem prorsus similem, de natura humana judiciandum est. Si-
 quidem dixit Jehovah: Faciamus hominem ad imaginem & simi-
 litudinem nostram, nempe velut ultimam perfectionem, & comple-
 mentum naturæ humanæ, adeò ut si consideretur in homine tantum
 productio corporis, & inspiratio anima, sine Originali justitia, non-
 dum absoluta sit humana naturæ creatio, quoniam caret perfecti-
 one sua ultima. Quæ omnia accuratissimè dicta sunt à Theo-
 logo incomparabili B. Meisnero Anthropol. Decad. 1. Disp. 2. p.
 m. 45. Inde etiam Eccles. 7, 30. dicitur: Deus fecit hominem
 rectum. Itaque Deus hominem non primum creavit, & deinde
 aliquod donum leve, extrinsecumque ornamentum ipsi adjecit,
 quia rectum ipsum fecit, h. e. creavit. Conf. Giessenii disp: XLI.
 de Papismo §. 82. Unde B. Gerhard. l. c. hunc in modum colli-
 git: Quod jam inde à principio creationis suæque Originis Adamo
 secundum naturam actu inhaesit, illud fuit ei naturale. At recti-
 tudo & integritas omnium virium, in qua imago Dei consistit, jam
 inde à principio creationis Adamo secundum naturam actu inhaesit, Er.*

VI.

*Eandem nostram Orthodoxiam confirmant imaginis divi-
 nae in nobis lapsae reliquiae, quæ, Scriptura iterum testibus in-
 sunt. In Quæst. Rom: 2, 15. & præterea naturaliter propa-
 antur. Totam itaque imaginem divinam, justitiamque Origina-
 lem Protoplastis naturalem fuisse, exinde cuius manifestum
 redditur.*

*Cum justissimus Judex, ob deplorandum Parentum no-
 strorum lapsum, eis commissum depositum planè divinum, divi-
 nam imaginem, non tantum in totum auferre, sed & genus hu-
 manum planè delere, inque primo flore enecare jure opti-
 mo potuisset, placuit tamen eius Benignitati clementer, misericor-
 dia lapsos afficere, & non vita tantum denuo eosdem donare;
 sed perditæ & amissæ insuper imaginis quædam rudera, reliqui-
 as & scintillulas superesse voluit, quibus homines subinde, quo
 elapsi sint, quid, & quale nam amiserint donum, ad moneremur.*

C

Eas

Eas verò S. Paulus naturales nobis esse, loco in Thesi adducto probat I. *Ex naturali legis inscriptione*, dum gentibus post lapsum opus legis inscriptum esse ait τῆ Φύσεσ. Syrus reddidit פה"ד quod descendit ab Arabico פ"ד essentiam, creationem, generationem & naturam significans, vid: *Scbind. Lex: Pentagl. p. m. 848. & Trostii Lex: p. 335.* Quo ipso innuitur, legem ita naturaliter iisdem esse inscriptam, ut essentiae & naturae eorundem per creationem ingenerata, in posteros per generationem propagetur: At verò si reliquiae illae imaginis Dei, ut pote haec aliqualis legis divinae notitia, in cordibus naturaliter sunt inscriptae, ipsiq; essentiae impressae, utique perfecta & integra legis divinae notitia fuit in hominibus ante lapsum aequè naturaliter. Quales enim sunt reliquiae, tale id, ejus sunt reliquiae. Et quando homogenea sunt totum & partes, tum conditionem & naturam eandem obtinent, quae sunt verba B. *Meisn. l. c. p. 46.* Praeterea indubium est, easdem reliquias hodiernum propagari, & in posteros traduci. Imago igitur & ipsa divina ex nativitate fuisset haereditaria & naturaliter propagata, quod fatetur *Bellar. de grat. pr. hom. c. 7.* ad dictum Leonis dum respondet: innocentiam eum vocare naturalem, quia per modum naturae in posteros fuerat propaganda. Ita *Perrina l. 5. in Gen. disp. de tert. Excell. t. 4. p. 583.* Iustitiam originalem donum totius naturae; Et in generatione carnali ad omnes posteros transferendum fuisse, fatetur *Disp. de secund. Excell. p. 556. Conf. Zeaman. l. c. p. 138.* Qui *Greg. de Valent. idem ex Concilio Arausicano, Tridentino, Augustino, Thoma &c.* confirmasse dicit. Jam verò nullum supernaturale donum, quod ex speciali inhabitatione Spiritus S. proficiscitur, quodque instar freni est, haereditarium, ita ut modo naturali propagetur, est, quia inhabitatio certè Spiritus S. non propagatur naturali modo. Imò tam absurdum foret, ac si quis diceret, pullos equinos nasci frenatos. At imago Dei, & iustitia Originalis fuisset naturaliter propagata, fatentibus Adversariis; Donum igitur super naturale fuisse non potuit. Propria igitur vineta h. l. *Bellar. cædit & qui eum sequitur D. Drejerus, idem concedens. Conf. B. Meisn. Antbr o-*
polo-

pal. l. c. D. Calov. in System. Theol. Tom. 4. c. 2. qu. 8. p. 670. Ejuudemq. Harmon. Disp. 5. 5. 20. p. 291. II. Id Apostolus probat ex naturali conscientia testificatione. Siquidem testem in praeordiis suis semper circumportant homines, qui facta bona excusat, mala accusat. Cum itaque illud conscientiae testimonium etiam in gentibus deprehendatur, ipsisque naturam insit, ut naturalis animae vis, & particula quaedam iudicii divini in mentibus hominum, ut praeclare docet *B. Gerbardus l. c.* sequitur etiam, quae huic est valde conjuncta, rectitudinem interiorem iisdem esse naturalem, minimè supernaturalem. Ut enim justitiam & sanctitatem verum η Φ υ σ ϵ comitatur approbatio conscientiae & tranquillitas: ita injustitiam sequitur accusatio, quemadmodum concludit *D. D. Calovius l. c.*

VII.

Præterea cum nostram nunc naturam accuratius excutimus, peccatumq. Originale ei inherens perpendimus, id naturale nobis esse deprehendimus: Docemur enim id Gen: 8, 21. Eph. 2, 3. Sap. 12, 10. Justitia itaq. naturalis, illi opposita, naturalis fuerit homini integro oportet.

Animorum quaecunque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum, *August. in Enchirid. c. 11. Teste Bellarm. l. c. c. 7.* At verò peccatum, quod Originale vocamus, pessimum est totius hominis vitium, ut pote propter quod gratia nos miserè non tantum sumus spoliati, sed etiam incurrimus in Daboli potestatem; imò totus homo secundum corpus & animam in deterius est mutatus, sicuti ipse Bellarminus paulò ante egregie fateatur. Insignis igitur boni alicujus, ejusq. naturalis, privatio erit. Verum licet in explicando hoc Augustini dicto multum se Bellarminus torqueat, misso tamen eo, nos tantum hic urgebimus illam, in qua omnia eadem fundantur, oppositionem peccati & justitiae Originalis. Namque totò genere contraria non differunt, sed eadem ratione participant, $\epsilon\pi\iota\ \tau\omega\nu\ \epsilon\nu\nu\alpha\nu\tau\iota\omega\nu\ \omega\sigma\delta\upsilon\tau\omega\epsilon\varsigma$ *Aristot: 6. Top. §. 4. citante B. Meisn. Anthropol. l. cit.* Jam verò Originale peccatum naturalis, naturae humanae intrinsece & intimè inherens, qualitas, non aliquid $\upsilon\pi\epsilon\rho\ \Phi\upsilon\sigma\iota\kappa\acute{o}\nu$ & extrinsecum est, quod manifestè patet Eph: 2, 3, ubi omnes Filii iræ-

dicimur *Φύσει*, Ebr: 12, 1. propter *ἐνπερίστατον ἀμαρτίαν*, & *ἐν Φύσει*
τὴν κακίαν ἡμῶν Sap: 12, 10, in qua concepti, & in utero ma-
 tris quam primum calefieri cœpimus, ea inquinati jam sumus Ps.
 51, 7. Id quod Bellarminus etiam concedit. Quare justitia Ori-
 ginalis, huic vitio è diametro opposita, naturalis qualitas & in-
 trinseca naturæ humanæ perfectiō, ante lapsum, fuit, & nunc ita
 dici debet. Bellarminus loc. cit. variis modis frustra respondere
 tentans, tandem reponit; justitiam Originis donum dici posse
 naturale, quia naturam non destruit, sed perficit. Quemadmo-
 dum è contrario vitium dicitur contra naturam, quia naturam
 non perficit, sed corrumpit; Ita & D. Drejerus in *Deduct.* p. 141.
 illud concedit. Verum ita & nobis naturalis omninò dicitur,
 sed non tantum. Reliqui etiam modi addendi erant, quos th. I.
 adduximus, & propterea sibi ipsi respondens Bellarminus c. 5. ait:
 Cæterum de naturali, hoc modo accepto, nulla est quæstio, cum
 ei non super naturale, sed contra naturale opponatur; imò, jux-
 ta eosdem, naturalia in primo homine non modo perficienda
 dono supernaturali, sed & corrigenda, cohibenda & refrenanda
 fuere. Ideoque, non justitiam naturalem ipsi homini, sed potius
 naturalem rebellionem fuisse, exinde sequetur.

VIII.

Porro certum nobis & probatum est, hominem conditum esse ad finem naturalem. Hunc autem per media proportionata acquirere & assequi debuit. Quare Deum naturales homini vires, ad naturalem finem obtinendum, per creationem, indidisse, dubium nullum esse potest.

Adeò verum & certum est, hominem esse factum ad participandam summam beatitudinem, ut nullus de eo dubitet, nisi cujus ratio est omninò subversa. Bonaventura in 2. sent. dist. 19. art. 1. qu. 1. apud Gerbardum l. sæpius citato. Quo quid verius dici potuisset? Primus quippe homo nullam ob causam aliam creatus est, mirabiliq; modo ex glèba terræ productus, quam ut Creatorem suum, Deum Gloriosum, rectè & ritè agnosceret, agnitum in æterna beatitudinæ coleret, illoque agnito, & culto, æternum frueretur,

quæ est summa hominis beatitudo, finis ejus naturalis, & ulti-
 mum, summumque bonum, quemadmodum censet *Lactantius*
etiam l. de ira Dei c. 14. Nisi igitur hominem, Creaturarum om-
 nium Deo charissimam, deteriolem brutis, quæ, ut ut natura pron-
 ventrique finxit obedientia, necessariis tamen ad finem suum ob-
 tinendum mediis instruxit, fuisse dicas, confiteberis, eidem na-
 turalia media in primo statim Creationis momento collata esse.
 Alia autem, præter justitiam & sanctitatem Originalem, profer-
 re nemo poterit. Quæ omnia licet cuivis pervia sint, *D. Calixtus*
 tamen negat, finem hominis ad imaginem Dei conditi naturalem
 esse æternam felicitatem, ut inter alia patet ex *Ejus disput. De*
Peccat. Orig: th. 20. & 22. Idem & *Gerhardus Johannes Vossius*
 negat *loc. cit.* *Bellarminus* verò simpliciter id negare non audet,
 sed *loc. cit. c. 7.* in varios sese flectens gyros ad frivolum distincti-
 unculam confugit, hæc regerens: Concedi quidem posse, sum-
 mam eam beatitudinẽ esse hominis finem naturalem, sed quoad appetitũ
 nõ quoad consecutionẽ. Neque est, inquit, aut novum, aut natura homi-
 nis indignũ, ut naturaliter appetat, quod non nisi supernaturalia uxi-
 lio consequi valeat. Siquidem anime hominum solute corporibus na-
 turalem habent ordinem & propensionem ad corpora, quorum for-
 ma fuerunt, nec tñ iterum conjungi corporibz sine supernaturali auxi-
 lio poterunt &c. Hæc ille. Sed qui negare quis posset, finem ho-
 minis naturalem beatitudinem æternam esse, siquidem *Sap: 2, 23.*
 Deus creasse hominem dicitur, ἐπ' ἀφθασία. Cui autem bono
 illa homini concessa fuisset ἀφθασία per creationem, nisi ut
 Deo in æternum frueretur? Hinc & *Thomas P. 1. qv. 12. art 4.* quod
 æterna beatitudo finis sit homini naturalis, agnoscit. Deinde nec
 Bellarmini quicquam inest ponderis distinctioni, eadem cum ad-
 huc remaneat difficultas. Videmus quippe reliqua animantia
 omnia, uti finem suum ultimum & naturalem desiderio maximo
 appetunt, eumque insequuntur; ita & naturalibus, ad id conces-
 sis, mediis eundem tandem obtinere & assequi. Absurdum verò
 maximè est, in hominis viribus, ad naturalem finem penetrare,
 situm non esse. Concedendum igitur est beatitudinem æternam
 fuisse hominis integri finem, non modo appetibilem, sed & pos-
 sibilem

sibilem, adeòque naturalem. Denique diversum planè & ἀπερὶ-
διόνυτον est, quod de separata à corpore anima in medium pro-
tulit Cardinalis. Confundit enim statum naturalem & præter-
naturalem; integritatis & lapsus. Anima separata non in na-
turali, sed præternaturali, non in eo, ad quem prius est condita,
sed in quem per peccatum translata est, statu versatur. At hic
hominem in statu suo maximè naturali, in quo à Deo, natura in-
tegra, creatus est, inque quo nil unquam appetit, quod non ejus-
dem naturæ viribus assequi potuisset, considerari indubium est.
Confer. B. Zeemann. l. c. c. 7. p. 135.

IX.

*Insuper commentum hoc Scholastico-Papisticum profliga-
tur, si cum Orthodoxis justitiam Originalem, tum in Serva-
tore nostro, nobis per omnia, peccato excepto, similitum in
Beatis in statu Glorificationis consideraverimus, illis autem
cum naturalis sit, homini primo quin talis etiam fuerit, ne-
gandum non est.*

Rebellionem virium creato homini ut ut Adversarii natu-
ralem faciunt, Christo tamen Θεανθρωπῶς eandem, quod sciam,
directè non tribuere audent, quod eandem cum ejus ἀναμαρτησία
è diametro pugnare forsan deprehendunt. Quod si igitur con-
cupiscentia adversus spiritum, sensitivi appetitus adversus ratio-
nem, naturalis eidem dicenda non est, sequitur omninò justitiam
Originalem non nisi naturalem in eodem existisse. Idq; non
tantum ex oppositione justitiæ ac rebellionis naturalis, sed, ex re-
motive quoq; fundam. entis, consequens est. Namq; πρῶτον hu-
jus Papistici erroris ψεῦδος est illa virium rebellio naturalis, quæ
coërceri & reprimi debuit juxta eos, per superadditum aliquod
& supernaturale donum; quod cum in Servatore nostro, carente
eo vitio naturali, opus non fuerit, ita colligimus: Aut in Eo natu-
ralis virium deordinatio, aut justitia Originis supernaturalis, ad
nullum usum destinata, & planè otiosa, aut justitia Originis na-
turalis, intimè ejus naturam perficiens & integrans, fuit: Illud
falsum, istud absurdum; hoc igitur certum esto. Eodem pla-
nè

ne modo judicandum de Beatis vitæ beatissimæ cœlestisq; In
iis quippe concupiscentiam illam inordinatam remansisse, ne-
mo tam erit absurdus, qui asserat. Nisi igitur eam justitiam, quæ,
ope Spiritus S. in hac vita instaurata, in iis fuit, ibi in altera vita
officio suo & fine ultimo, quem Adversarii ei tribuunt, defrauda-
ri planè dixeris, certè naturalem fore concedendum erit. Qui-
bus præmissis, demonstrare difficile non erit, justitiam Originis
Protoplastis naturalem fuisse: Quicquid Christo quoad hu-
manam naturam fuit naturale, idem primo quoq; homini ante
lapsum naturale fuit. Nam primus Adam typus est Ἰη μὲλ-
λον/Ω, Rom: 5, 14. At vera justitia & sanctitas Christo, quo-
ad humanam naturam, fuit naturalis. Ergo eadem Adamo
quoq; naturalis fuit. Ita colligit B. Zeemannus l. c. p. 139. &
Magnif. D. Calov. Syst. Theol. Tom. 4. p. 671. Porro quia status
gloriæ erit ἀποκατάστασις πάντων Act: 3, 21. eidemq; integri-
tatis status certa quadam analogia respondeat, siquidem in illo
planè restituitur, quod in hoc fuit deperditum, hunc in modum
cum B. Gerbard: Isag. Loc. Theol. loc. cit inferemus: sicuti se ha-
bet justitia & imago Dei in Beatis in statu gloriæ, ita eadem se ha-
buit in statu innocentia. Jam verò imago Dei in Beatis erit in-
terior & φυσικὴ animæ & corporis glorificati qualitas 1. Cor:
15, 42. Ergò

X.

*His deniq; Subjungimus S. Patrum & librorum nostrorum
Symbolicorum auctoritatem, qui ὁμοθυμδὸν banc nostram de
justitia Originis sententiam comprobant, Adversariorum re-
probant & damnant.*

Prolixus est Bellarminus l. c. c. 6. in corradendis Patrum
sententiis, iisq; ad mentem Pontificiorum detorquendis, idem
& tentavit Dn. D. Drejerus loc. cit. sed alienam scœpius affingi
Patribus mentem satis declaravit Magnif. Dn. D. Calov. in Har-
mon. Calixtino-Heretica à p. 317. usq; ad p. 332. In hoc igitur an-
tiquitatis, quem subind crepant Adversarii, consensu planè
destituuntur. Ejusdem verò solidiora testimonia nobis non
desunt

desunt, quæ adscribere nostri non fert instituti ratio. Ponenda eadem exhibuit B. Zeemannus de grat. pr. hom. c. 7. art. 3. & P. Calov. in System. Theol. Tom. 4. c. 2. qu. 8. §. 13. Theandri Lutheri quæ fuerit mens, unico tantum declaratum dabimus testimonio. Is verò Comment. in Genes. c. 3. ait: Statuamus, justitiam non fuisse quoddam donum, quod ab extra accederet, separatum à natura hominis, sed fuisse verè naturalem, ita ut natura Adæ esset, discere Deum, credere Deum, agnoscere Deum &c. Hæc tam naturalia fuere in Adamo, quam naturale est, quod oculi lumen recipiunt. Quia autem si oculum vitiosum reddas, inflicto vulnere, rectè dicas, naturam violatam esse: Ita postquam homo ex justitia in peccatum lapsus est, rectè & verè dicitur, naturalia non integra, sed corrupta esse per peccatum. Sicut enim natura oculi est videre, ita natura rationis & voluntatis in Adamo fuit nosse Deum, Deo fidere, timere Deum. Hæc cum jam amissa esse constet, quis tam amens est, qui dicat, naturalia adhuc integra esse? Et deinde: Sed vide quid sequatur ex illo, si statuas justitiam Originalem non fuisse naturam, sed donum quoddam superfluum, superadditum. Annon sicuti ponis, justitiam non fuisse de essentia hominis; ita etiam sequitur, peccatum, quod successit, non esse de essentia hominis? Annon igitur frustra est, mittere Redemptorem Christum, cum justitia Originalis tanquam res aliena à natura nostra ablata est, & integra naturalia manent? Quid potest indignius Theologo dici? Quare fugiamus deliria ista tanquam veras pestes & corruptelam sacrarum literarum! Quæ Lutheri verba, quamvis in Deductione German: p. 188. pro in congruis locutionibus, unformliche Reden/ habeantur, attamen de essentia cum hominis integri & ante lapsum loquatur, satis congrua & orthodoxa sunt, erroriq; huic Scholastico directè opposita. Frustra igitur ad consensum B. Luth. in hac causa desperata provocat Eadem p. 84. Apol. A. de C. Peccato Originis p. 53. ita hac de re differit: Scholastici hic rixantur de Dialecticis questionibus, non explicant, quid sit justitia Originalis. Porrò justitia in Scriptura continet non tantum secundam tabulam Decalogi, sed primam quoque, quæ precipit de timore Dei. Itaque justitia Originalis ha-

bitura

bitura erat non solum aequale temperamentum quantum corporis,
sed etiam haec dona, notitiam Dei certiore, timorem Dei, fiduci-
am Dei &c. Idq; testatur Scriptura, cum inquit, hominem ad imagi-
nem & similitudinem Dei conditum esse. Quod quid est aliud, nisi
in homine hanc sapientiam & justitiam effigiatam esse, quae Deum appre-
benderet, & in qua reluceret Deus &c: Ex quibus Apologiae ver-
bis hoc urgemus, quod justitiam Originis in Protoplastis effigiatam,
ipsiq; concreatam, adeoq; eandem naturalem fuisse, minimè super-
naturalem, asserit disertè vi consequentiae optimae Argumenti in
thes. V. adduct. Form: Concord. Epit. p. 574. Peccatum originis, in-
quit, non esse levem, sed tam profundam humanae naturae corruptio-
nem, quae nihil sanum, nihil incorruptum in corpore & anima homi-
nis atq; adeò in interioribus & exterioribus ejus reliquit. Hoc quan-
tum sit malum verbis reverà est inexplicabile. Vi igitur opposito-
rum Justitia Originalis fuit, juxta Formulam Concordiae, non
levis, sed tam profunda humanae naturae perfectio, quae corpus
& animam, atque adeò interiora & exteriora miracè perfecit
& integra reddidit. Haec & alia testantur satis superque, ne quic-
quā quosdam pro cōmento Scholastico-Papistico ad Libros no-
stros Symbolicos, quasi in iisdem damnatū id non sit, provocare.
Quin patet, illos, qui cum Papistis Justitiam supernaturale do-
num faciunt, ab iisdem recedere, & Orthodoxiam Lutheranam relin-
quere, quā omnes $\gamma\nu\eta\sigma\iota\omega\varsigma$ Augustanae Confessionis addicti Eccle-
siae Doctores hactenus propugnant concorditer. Inter Adversa-
rios contra ex asse non convenit. Licet enim eorum maxima pars
contra nos conspiret, aliqui tamen eorum, meliora docti, no-
biscum omninò faciunt. Nil jam de Lombardo II. sent. dist. XXIV.
Henrico Gandavensi Quodlib. VI. qv. II. Concil. Tridentino ipso sess:
V. De peccato Orig. Pererio lib. V. in Gen. disput. de Secund. Excell.
qv. III. Gregor. de Valent. & Bellarm. ipso, dicam, qui nolentes
nostrae saepius accedunt sententiae, veritatemque profitentur,
quod demonstravit B. Zeemannus l. c. Sed Gvilbelmum Estbium
solum memorabo ad lib. II. sent. dist. XXVI, qui, quod justitia Ori-
ginalis homini naturalis fuerit, septendecim adductis argumen-
tis, probat, praecipuarumque objectionum $\lambda\upsilon\sigma\iota\upsilon$ instituit; Prae-

D

tereà

tereà & Cornelium Jansenium, Episcopum Ipreensem, in Augustino suo l. 1, de statu pura natura cap: 15. quod opus approbarunt & insignibus elogiis decorarunt M. Beaucharnois, Tussannus Richard, Henricus Calenus, Theol. Licent. Metropol. Eccles. Mechlin. Archi-Presbyt. Bruxell. librorum Censor, Jacobus Pontanus, Pontificius & Regius librorum Censor Lovaniensis, & alii, quos adduxit Magn. D. Calovius T. 4. Syst. p. 526. Hos igitur omnesque, qui deinde Jansenii doctrinam amplexi sunt, hic habemus ὁμοψήφως.

XI.

Quod superest, argumenta Adversariorum expendemus breviter. Eorum enim licet tres Bellarminus classes constituat, in prima tamen nihil solidi, in secunda nihil veri, in tertia multum reperitur falsi.

Quo veritatem propositionis suæ probet Jesuita c. 6. adducit divinas literas, veterum testimonia, & ex ratione petita argumenta. Ista contorta & perversa ab Eodem esse, jam jam notatum est. De illis igitur & his brevibus nunc agendum. I. Affert locum ex Gen:3. Pulvis es & in pulverem reverteris; ex quibus colligit, hominem ex sua natura fuisse pulverem, mortalem, fragilem, doloribus, laboribusque obnoxium. Verum enim verò, hoc ipso nondum, quod debebat, probavit, justitiam Originalem scilicet hominis fuisse donum supernaturale. Si quid exinde probandum, pro mortalitate potius Protoplastorum argumentum quoddam deduci posset, quod tamen satis esset ficulneum, siquidem de origine corporis humani, non verò conditione animæ rationalis agitur ibidem. Deinde homo pulvis per tropum hoc loco dici certum est, siquidem nequaquam ejus corpus mortale unquam fuit, quod Cardinalis putat. Namque hic Deus non Protoplastis indicat, eos per peccatum in statum naturalem, hoc est, juxta Eundem, mortalem recidisse; sed id Creatoris verba inferunt, quod pulvis, unde ipsi formati sint, natura sua corruptibilis fuerit: Eū verò manu sua efformando corpus humanā à *Ἰντᾶις δουραταῖς* liberasse Deum, adeoque ἐπιὰ *ἰσσοῖα* condidisse corpus humanū, quæ sunt verba D. Calovii Syst. Teolo.

Theol. l. 6. confer. B. Gerhard. Isag. l. c. p. 804. Sed quid exinde
 pro justitiæ & sanctitatis dono supernaturali? Videns itaque
 se directè nondum probasse veritatem Propositionis, conferri
 vult Psalmum 8,5. & 48,4. & subjicit: quibus duobus modis in-
 dicatur, fuisse primum hominem donis supernaturalibus ornatum.
 Primum, quoniam miratur Prophetam hominem ferè Angelis aqua-
 tum. Quasi dicere vellet: mirum esse hominem natura sua corpora-
 tum, mortalem, animalium cæterorum affectibus obnoxium, ad eam
 gloriam evectum, ut parum omninò ab Angelis abesset. Deinde
 accedit, quod dona alia primo homini initio collata, vocat honorem
 & gloriam; honor autem & gloria sine dubio aliquid extrinsecum
 & superadditum designant. Sed hæc omnia speciosius, quàm
 verius dicuntur, solido destituta fundamento. Ps. enim octavum
 de Christo agi extra controversiam positum sit, quod Scriptura
 S. N. T. id ipsum testatur 1. Cor. 15,27. Eph. 1, 22. Ebr. 2, 9. quod
 agnoscit Lyranus, cum Glossa Ordinaria; Quadragesimus verò oc-
 tavus non de homine in statu integritatis, sed lapsus agit. Neque
 statim honor, si per eum intelligeretur justitia Originalis, Proto-
 plastis in Creatione collata, quod Jesuita nunquam probabit,
 ejus donum supernaturale istam fuisse involveret. Namq;
 non omnis honos externus est. Sumitur quippe 1. pro funda-
 mento honoris, quod virtus. 2. pro interna cordis reverentia,
 quâ aliquem magnificimus. 3. pro externo hujus reverentiæ
 signo. Nil autem impedire potest, quo minus honor hic funda-
 mentaliter accipiatur pro increata rectitudine. *Mein. Anthrop. l.*
6. p. m. 49.

II Urget Ecclesiastici 17,13. Vestivit eos virtute. Dicit, creatio-
 nem hic referri ad naturam, indumentum virtutis ad superaddi-
 ta dona: Indumentū a. esse quid extrinsecū. Sic & Luc: 10. hominē
 prius spoliatū dici supernaturalibus, tum demum vulneratum in
 naturalibus. *Ast omne id, quo quis vestitur, externum est, negam⁹.*
 Jobus etenim carnibus & pelle c. 10, 11. Deus gloria Psal. 104. v. 1.
 vestitus dicitur. Imò contrarium exinde potius demonstramus
 facile, si attendamus emphasin illam, quæ est in πρησδιορισμῶ,
 καὶ θ' ἰαυλῆς, secundum seipsos, vestivit eos fortitudine, & ad-
 D 2 imagi-

imaginem suam fecit illos; quibus verbis, non fuisse imaginem
 Dei donum aliquod superadditum, sed intrinsicum naturæ, qua-
 liter à Deo condita est, bonum, denotatur, id quod Gerhard
 Meisnerus & alii accuratè observarunt. Quod hominem vulne-
 ratum attinet, reddimus *Bellarmino* propria verba adducta à *B.*
Meisn. l. c. p. 49. : Ex solo sensu literali, non mystico, sic nec parabo-
lico, argumenta sunt efficacia. Prætereà ibi de lapsu hominis pro-
 priè agi, unde demonstrabitur solidè? Imò an solis supernatura-
 libus, anne naturalibus etiam donis quis spoliari potest? Certè
 qui visu & auditu, vulneratis organis, spoliatur, dono priva-
 tur naturali.

I I I. In ultima Objectionum classe hanc præcipuam ratio-
 nem profert Bellarminus : *Naturale est corpori animali sensu &*
appetitu prædito concupiscere bonum sensibile; Naturale est Spiritui
rationali concupiscere bonum Spirituale, quare si fiat una natura, ex
Spiritu rationali & corpore animali conflata, naturale illi erit ha-
bere diversas & inter se pugnantes propensiones. Quod igitur primi
Parentes nostri ante peccatum pugna ista diversarum appetitionum
carerent, donum erat supernaturale, non conditio naturalis; Quo
& utitur argumento palmario Dn. D. Drejerus l. c. p. 152. 153. Verum-
 enimverò, quam hic appetitus cum ipsa appetitus, ἀνάξια status
 lapsus & destitutionis cum statu integritatis s. institutionis pessimè
 confundatur, tantis sane Viris ignotum esse nō debebat. Quā-
 vis enim hodie illam propensionum σύρραξις quivis in corpore
 suo cū Apostolo Rom. 7. persentiat; non statim in statu integri-
 tatis locum eandem quoque habuisse exinde sequitur : siquidem
 ibi bonum quidem appetibile prosecutus etiam homo fuit, sed
 absque inordinatione omni & conflictu, ita quidem ut quicquid
 ratio dicitaret, idem & appetitus vellet; &
 quicquid appetitus prosequeretur, nil autem mali aut rationi
 adversum prosequi potuit, idem & ratio approbaret.
 Πρώτον igitur ψεύδος, ut apparet, est illa naturalis appetitus
 adversus rationem pugna, quam Pontificii & Novatores nobis
 negantibus prius, si possunt, probent. Post ex concessis dispu-
 tent, nosque consentientes in hoc habebunt facilè, id est, nun-
 quam. Quod verò Bellarminus dicit, nullam aliam causam dari
 posse

posse corruptionis in natura, quàm conditionem materiæ & re-
motione doni supernaturalis, id omnino falsum est. Datur enim
Diaboli seductio, abusus liberi arbitrii, & aversio à Deo. Quo de
passim Theologi.

IV. Denique, *Si natura humana*, inquit Bellarminus,
qualis nunc est, remota culpa, mala est, & necessario labitur in pec-
cata, & ideo à Deo non potuit creari sine justitia Originali, certe se-
quitur, non posse hominem mortuum à Deo revocari ad vitam, nisi
præditum Originali Justitia. Sed nihil exinde obtinebit, quia crea-
tionem primam cum resuscitatione à mortuis confundit, qua-
rum tamen diversa est ratio. Si enim Deus hominem cum naturæ
illo langvore creasset, verè illius vitii Autor diceretur; At si ho-
mines Originali peccato imbutos & pollutos ad vitam hanc re-
fuscidat, autor peccati minimè fit. Siquidem dum peculiari Oe-
conomia corruptionem naturæ non planè tollit, non statim ean-
dè efficit. Interim constare non potest, an illi, qui in vitam mira-
culosè & extraordinariè revocati sunt, peccato fuerit obnoxii,
& ob id denuò mortui, an verò aliquanti super sine eo vixerint.
Ob hujusmodi a. res incertas & miraculæ extraordinaria, ea, quæ
è Scriptura certa sunt, negare licitum non est: Imò si vel maximè ad
prius amplectendum propendere remus, quid exinde pro Pontifi-
ciis? Annon commodè confirmare licebit, quia peculiari Dei
consilio in vitam animalem & naturalem revocandi fuerant, ve-
rè quidem mortuos, glorioso tamen æternæ celestis beatitudi-
nis statui, propter singularem & extraordinariam Dei dispensa-
tionem, non adum insertos fuisse? Et ideo à peccato Originis ple-
nariè liberati dicendi non erant, siquidem circa illud tria con-
siderari meritò monet *B. Meisn. Anthropol. t. c. p. 52. nimirum do-*
minum, sensum, & radicem: Hanc, secundum Theologos, tolli ait
per redactionem in cineres, illum per mortem, istud per renova-
tionem. Ob cineractionis igitur negationem, corporum illo-
rum conditionem, & actionum rationem, quæ animales fuere
& Physicæ, non Spirituales & Angelicæ, concludit, corpora
ista unà cum peccati radice in vitam esse revocata. Sic & a-

anima, quæ πρῶτον δεκτικὸν est peccati, per mortem quidem à peccato liberari statim, quomodo autem, quove medio, soli Deo notum, interim probabilius videri ait, animas resuscitatorum à radice peccati liberatas non fuisse. Deo autem impingi exinde minimè posse maculam existimat. Haic igitur Theologi summi iudicio accurato acquiescimus, & in cæteris difficultatibus, hanc quæstionem concernentibus, τὸ ἐπέχειν amplexuri cum Eodem sumus.

XII.

Cum hætenus, pro captu nostro, quid de Controversia præ'enti ipsa S. Scriptura statuatur, & ab Orthodoxis credi debeat, declaratum dederimus, jam ultrò patefit, hoc totum Theologicum ζήτημα non in nuda λογομαχίᾳ consistere, quo de in utramque partem disputare liceat, sed quæstionem hic arduam, maximèq; momenti esse pertractatam.

Arminiani, quibus Academico more pleraque dubia reddere solenne est, hanc Scepticorum modo in medio relinquunt de Justitia Originali Controversiam, de cujus naturali quidvis admittere paratos esse ajunt in Apol. ad c. IV. Qualemcumque justitiam Originalem, Adamo & Eva attribueris cum Ecclesiis seu Reformatis, seu Romanensibus, seu aliis quibuscunque, eam volentibus ac lubentibus Remonstrantibus, Adamo & Eva attribueris, dummodo justitiam Originalem ejusmodi qualitatem aut formam esse non dicas, qua posita, impossibile fuerit, peccare Adamum: Et porro: Quod si Censores hi nihilominus aliter se sentire profiteantur justitiam Originalem formam tantum supernaturalem esse velint sive formam illam habitum vocent, s. semen, sive principium supernaturale, sive aliud quid, Remonstrantes omnes habebunt sibi ultrò suffragantes. Titivilitio non emittent tam vilem Controversiam. Verum, erimverò, cavendum sedulo est, ne libere, quicquid velis, sentias de re non, nisi in Scripturis, revelata, sed quicquid Spiritus Sanctus de ea tradidit, Alias perinde fuerit, sive Spiritui S. contradicas, sive non, quæ verba sunt Excellentiss. Dn. D. Calo-

Calovii in Arminianismi Considerat. Diss. 7. §. 22. p. 13: Quare suo hic merito mactandus est encomio *Simon Episcopus*, qui hic publicos potius libros Remonstrantium, ex quibus eorum doctrina potissimum, ipsis id postulantibus & requirentibus, æstimanda est, relinquere & ab Apologia Confessionis, cujus tamen ipse Autor non obscuro judicio creditur, divortium facere, adeoque certa & definita sententia pronunciare voluit, justitiam Originalem non fuisse donum aliquod extrinsecum supernaturale, ut patet ex *Diss: privat. V. tb. 6. & 7.* cujus verba legi possunt apud *D. Calovium l. c. §. 23. p. 154.* Sic & *Dn. D. Drejerus in Deductione l. c. p. 202.* nudo se a *D. Gerardo*, & reliquis Orthodoxis, & solo dissidere vocabulo $\tau\bar{\rho}$ lupernaturalis, de quo disceptandum minimè opinatur. Et in *præfat. ad Lectorem*, dissensum esse putat in terminis artium & Philosophicis $\tau\bar{\rho}$ naturalis & supernaturalis. At, si hoc, quare ille tam operosè hanc pertractat puaestionem? quare tot compilatis & detortis Patrum sententiis suam probare conatur sententiam? quid tam sedulo & Manichæismum & Pelagianismum, circa quæstionem hanc decidendam, cavendum studiosè, inculcat? Magni igitur momenti quæstio, propria Ejus ex praxi, erit. Quare longè accuratior & rectius judicium *B. Meisneri est, ita Decad. 1. Anthropol. disp. 2. tb. 9. judicantis de hac controversia: Quæ una nisi re $\tau\bar{\rho}$ te decidatur, primarii religionis nostræ articuli, quales sunt: de peccato Originis, libero arbitrio, Dei gratia, fide & justificatione nostra ob coherentiam & mutuam dependentiam, certissimè corrumpuntur. Est igitur hæc quæstio quasi bivium quoddam Theologicum, ubi veri falsiq; porta panditur, & ex una parte ad Lutheranam Orthodoxiam ducimur, ex altera ad Papisticam ἐτεροδοξίαν abducimur, quam ipsam ob causam Bellarminus eam præmittere voluit, ut, jactò hoc fundamento, reliqua Papismi dogmata facilius superstruere possit. Eadem vide apud Giffenium Diss: XL. de Papismo §. 19.* Non invitus hisce subnecterem alia. Verum quæ restabant.

Spatiis exclusis iniquis

Prætereo, atque aliis post me memoranda relinquo.

E I N I S.

AD PER EXIMIUM ATQVE PRÆSTANTISSIMUM
DN. RESP. DE IMAGINE DEI DISPUTANTEM

Dulcis imago Dei, quam contulit ipse creator,
Denso virtutum munere plena fuit.

Primus homo rerum Patrem referebat, in isto
Virtutum cumulo gloria prima fuit.

Ast ea Naturæ munuscula vana gerebat,
Naturæ per opus post generanda fuit.

Sed fuit (Hæu!) nobis hæc gloria, nulla remansit!
Per lapsum venit turpis imago Mali!

Talia STEPNERUS meditatur, flamine tactus,
Pergat! imago Dei munere plenus erit!

JOHANNES Deutschmann/D.

Quid sit imago Dei scrutaris, STEPNER AMANDE,
Ex literis sacris: Non labor ille levis.

Gratulor ergo Tibi de cæptis hisce sacratis;
Cæpta beet multa prosperitate Deus.

M. Johannes Fabricius. Eccl. Witteb. Diac.

Dum de justitiâ primâ differere tentas,
Noscitur ingenii vis operosa tui.

Jam pridem pectus Cælestis amore calebat
Doctrinæ, En! flammæ mittit ad æstus suas.

Sit felix faustumq; precor! vestigia Patris
Si premis ulterius, nomina clara geres.

Reimarus Struvius Itzehoâ- Hols. SS. Th. Stud.

Παυφάε⊕ βίβλας ὄσις Θεοδόγμονι θυμῶ
ὄργια μυσιπόλευε φιλόχροτα, ταῦτα νοήσῃ

εὐ, ἀ ἐτήτυμ⊕, ἐμπεδόμυθ⊕, θεσκέλ⊕ ἠδὲ
Φθέγγεται αὐτοβόη⊕ λόγῳ σημάντορι Παύλ⊕.

Πολλὰ βροτὸς δύναται, δυνατόν ἀλλ' ἔποτε ἔδεν
ἢ κατ' ἀληθείας θεικῆς, πᾶν ἀλλ' ὑπὲρ αὐτῆς.

Γραπτὰ θεορρήτον σὺ ἐρευνᾶς θεσφατα βίβλων,
Κκαὶ φίλε, ἔ Παύλοισο φυλάσσεις μῦθον ἀγκᾶς.

Ἰᾶτο ποιῆ φανερόν τὸ ὑπέρτερον ἔργον, ὃ ἦλθε
ἠδὲ αὐτοκέλυσσον ὄπη φά⊕, ὄφρα φανείη.

Daniel Kansdorf, Sedinensis.

Coll. Diss. A. 167, misc 29